



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

4. Pastoralis Officii, &c. Confirmatio Constitutionum Pii IV. contra
Beneficiorum conficientarios, speciatim pro Galliarum Regno: 1587.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

tionum antea factarum, nec non gravium damnorum à Clero inter tantos bellorum istic gestorum tumultus perpessorum certam notitiam habentes, nec immemores & horum, ex quibus idem Clerus desuper apud Nos superioribus toties conquestus est; ne exhaustis tandem ex huiusmodi alienationibus Ecclesiæ facultatibus, non reperiatur qui illi amplius deserviet: diu multumque superfedimus, & executionem alienationis prædictorum quinquaginta millium scutorum hucusque distulimus, quam & nunc, si Regni urgens necessitas ad id nos non impelleret, & differemus & penitus recusarem. Verum quia non sine magno animi nostri mœrore intelleximus, copiosum exterarum nationum exercitum ex variis locis ab hæreticis evocatum in Franciam contendere; maximumque inde periculum & peronis & bonis Ecclesiasticis imminere, neque fieri posse, quin status Ecclesiasticus propterea vehementer perturbetur, nisi ex celeri, & prompto remedio succurratur; & jam ipse Henricus Rex convocatis, & congregatis propterea ferè totius sui regni viribus eo incumbat, nulli labori, nulli periculo, non etiam propriæ vitæ discrimini parcere volens, ut periclitanti Regni sui & Ecclesiarum ac Ecclesiasticarum personarum statui consulere, & hoc non solum ab eis malum avertere, sed etiam eosdem hæreticos profligare valeat. Nos similiter rebus afflictis succurrere, ac ipsius Henrici Regis animum, & intentionem in tam Sancto & laudabili proposito confovere desiderantes, impendentis calamitatis necessitate adducti, vobis de quorum fide plurimum confidimus, alienationem dictorum posteriorum quinquaginta millium scutorum annui redditus faciendi, & exequendi licentiam & facultatem concedimus, ac iungimus, ut ad illius executionem, servatâ aliis in omnibus, & per omnia dictarum litterarum serie ac formâ, quarum tenores ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inferrentur, eisdem præsentibus pro expressis, & totaliter insertis haberi volumus, procedatis, non obstantibus præmissis ac omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obstare. Ut verò præsentibus litteræ, quibus opus fuerit, facilius innotescant, volumus, ut earum exemplis & impressis, & manu Notarii publici, ac Sigillo ejusdem Notarii, seu Clerici, aut Deputatorum huiusmodi munitis eadem habeatur fides, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleesimo quingentesimo octuagesimo septimo, tertio Kalend. Augusti, Pontificatus nostri, anno tertio, & Dati.

Jo. Thom. Gualtertius.

Et sur le replisigné, A de Alexiis.
Et scellées de plomb à lacs de corde.
Et au dos est eserit. Registrata apud Thomam,
Secretarium.

Et encore sur ledit replisigné est eserit: Registrée, où ce requerrant le Procureur general du Roy, pour subvenir à l'urgente nécessité des affaires de sa Majesté, & resister aux efforts & violences du grand nombre d'estrangers entrez en ce Royaume pour l'eversion de l'État & Religion Catholique Apostolique & Romaine, sans le tirer à conséquence pour les deniers provenans de la vente & alienation mentionnée esdites Bulles, estre employez, au fait de la guerre & non ailleurs. A Paris en Parlement le vingt-unième jour d'Avril 1587.

Signé,

MAIGNEN.

Confirmatio Constitutionum Pii IV. & Pii V. contra Beneficiorum Confidentiariorum, speciatim pro Galliarum Regno: an. 1587.

SIXTUS EPISCOPUS.

Seruus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis Officii sollicitudo Nos admonet, ut quæ ad Dei laudem animarumque salutem à Prædecessoribus nostris providè statuta fuisse noscuntur, debitæ executioni demandari curemus, & si quando opus sit, illa etiam modere mur, prout personarum & locorum qualitate pensata id in Domino confpicimus salubriter expedire. Sanè felicitis recordationis Pius Papa Quartus, Prædecessor noster, ad tollendam fiduciariæ mancipationis Beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit, & decrevit &c. & deinde recolendæ memoriæ Pius Papa Quintus, etiam Prædecessor noster, ad tam nefarium crimen facilius detegendum & profligandum, similiter statuit & decrevit &c. . . . Cum autem, sicut accepimus, litteræ prædictæ in Regno Galliarum, ob temporum injuriam, aliasque varias subortas difficultates, diversaque impedimenta, adhuc debitæ executioni non fuerint demandatæ, ac propterea tam perniciosum Confidentiariorum vitium, quod celebriter extirpari & eradicari oportuerat, in dies magis serpere, ac propagari noscatur, in maximum animarum periculum ac scandalum plurimorum. Nos ad hanc corruptelam à Regno illo, quod non ita dudum omni Christianarum virtutum genere florebat, & adjuvante Domino, etiam in posterum florebit, tollendam ac profus eliminandam, animarumque salutis imprimis consulere volentes, omnibus, & singulis dicti Regni Archiepiscopis, & Episcopis, eorumque Officialibus, & ad quos de jure & consuetudine pertinet, per præsentibus mandamus, ac sub interminatione divini officii districtius iungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, Civitatibus, Diocesis, & Locis, etiam exemplis, ad prædicta studiosè attendant, & in eos, quos in Confidentiariorum crimine, præsertim verò in aliquo ex casibus superius expressis, etiam per præsumptiones, & conjecturas prædictas deliquisse constituerit, severè animadvertant. Qui si in præmissis exequendis negligentiores fuerint, eorum negligentiam suppleri volumus à Capitulis Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium, ac etiam Collegatarum, ubi de Beneficiis ipsarum Collegatarum Ecclesiarum agatur, ac etiam ab Abbatibus seu Prioribus claustralibus & Conventibus Monasteriorum, aliorumque Regularium Locorum, ubi de eorundem Monasteriorum seu Locorum Officiis & Beneficiis quæstio extiterit. Et nihilominus appellationes à Sententiis, quas contra delinquentes huiusmodi fieri contigerit, ad proximos Superiores juxta canonicas sanctiones devolvi, executionem tamen Sententiarum prædictarum minimè impedire, aut retardare. Beneficia verò occasione Confidentiariorum huiusmodi ad præsens vacantia, & in posterum vacatura, ab ipsorum Beneficiorum ordinariis Collectoribus, perinde ac si dispositioni dictæ Sedis Apostolicæ minimè reservata fuissent, liberè conferri, & de illis provideri posse & debere decernimus; dum tamen talium criminum participes aut consentientes non fuerint, quo casu, ac etiam ubi iidem ordinarii Collatores per sex menses à die detectæ & comprobatæ seu convictæ Confidentiariorum, Beneficia ipsa, ut præfertur, vacantia canonicè conferre, & de illis providere neglexerint, Beneficiorum eorundem collatio, & provisio ad proximos Superiores devolvatur. Quæ verò Beneficia de jure Patronatus Laicorum fuerint, ad eorundem Patronorum præsentationem, dummodo in crimine huiusmodi non fue-

rint participes, confertur. De Ecclesiis verò ac Monasteriis, aliisque Beneficiis Ecclesiasticis, ad charissimi in Christo Filii nostri Henrici III. Francorum Regis Christianissimi nominationem spectantibus, novam ipsius Regis nominationem, juxta concordata, seu Indulta à Sede Apostolica ei concessa, volumus expectari. Fructus verò ex Ecclesiis, Monasteriis, & aliis Beneficiis prædictis male & indebitè perceptos, ad reparacionem Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum, super quibus Confidentialia hujusmodi contracta & commissa fuerit, per Archiepiscopos, Episcopos, seu Officiales, aliosque prædictos converti & applicari posse volumus, ac decernimus; Magno opere hortantes, & enixè in Domino requirentes eundem Regem Christianissimum, ut omne studium, operam, & auctoritatem ad prædicta peragenda & exequenda præstare & impertiri velit. Absolutionem autem à Censuris & penis, ac irregularitatibus, propter crimen Confidentialitatis hujusmodi quomodolibet incurfis, pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ apud Regem prædictum Nuntio, & quoad Provincias sublegatione Avenionensi comprehensas, eidem Avenionensi Legato, cum facultate etiam alios subdelegandi, de quorum pietate & prudentia magis confidant, per præsentem committimus & demandamus. Non obstantibus Pii Quarti & Pii Quinti Prædecessorum prædictorum litteris, quas, quoad dictum Regnum, in superius expressis duximus relaxandas, & moderandas, illis nihilominus, quoad alia regna & loca, in suo robore duraturis, aliisque Apostolicis constitutionibus, privilegiis quoque & indultis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, præsentium effectus, & executio impediri valeat quomodolibet, vel differri. Et de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscumque Curie Ecclesiasticæ, ejusve Prælati Sigillo obsignata, eandem illam profusam fidem in judicio, & extra ubique Locorum faciant, quam ipsæ præsentibus facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergò omnino hominum liceat, hanc paginam nostrorum mandati, injunctiois, decretorum, hortationis, requisitionis, commissiois, demandationis & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Id. Augusti. Pontificatus nostri, anno tertio.

GREGORIUS XIV.
PONTIFEX CCXXXIII.
ANNO DOMINI MDXC.

Gregorius ex Familia Sfondrata anno 1590. coronatus fuit Pontifex. Purpureos pileos Cardinalibus Ordinum Regularium, qui nigris antehac utebantur, concessit. Anathematizavit sponsores quascunque de Pontificis morte, aut Electione; Obiit mense decimo Pontificatus sui. (Ma-

gni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. II. fol. 756. App.)

Declarat cassata esse, & annullata privilegia exemptionis Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis, quatenus militant adversus Jurisdictionem Ordinarii: an. 1591.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Inter cætera quæ internis exoptamus affectibus, id unum est, ut inter Prælatos, eorumque subditos charitatem concordia nutriat, & pacem charitatis firmet amentas. Alias siquidem, cum Dilecti Filii Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Antverpiensis ratione quorundam privilegiorum in eorum favorem à felicitis recordationis Alexandro Sexto, Leone Decimo, Adriano etiam Sexto, Prædecessoribus nostris, antequam dicta Ecclesia, quæ tunc Collegiata, & Diocesis Cameracensis erat, in Cathedralem erecta extitisset, emanatorum, seu approbatorum, ampliatarum, & innovatarum, non solum exemptionem à Jurisdictione, visitatione, correctione, & omnimoda superioritate moderni, & pro tempore existentis Episcopi Antverpiensis, seque, immediatè Sedi Apostolicæ subditos, verum etiam jurisdictionem in universum Clerum Antverpiensem, tam in Civilibus, Matrimonialibus, & Criminalibus Causis, quàm in facultate à casibus Episcopo reservatis absolvendi, ac concedendi Litteras dimissorias, nec non forsam pluribus aliis; & modernus Episcopus hujusmodi privilegia, si qua ipsi Decanus, & Capitulum haberent, ut præfertur, per erectionem dictæ Ecclesiæ in Cathedralem postmodum à piæ memoriæ Paulo PP. Quarto, etiam Prædecessore nostro factam, de medio sublata & abrogata fuisse prætenderet, causæque, seu prætensionis, & controversiæ hujusmodi de communi Partium consensu Venerabili Fratri nostro Episcopo Cajacensi, nostro, & dictæ Sedis in illis partibus Nuntio, componendæ commissæ fuissent, & ipse Episcopus Nuntius iuribus ambarum Partium hujusmodi per eum diligenter visis, acta desuper emanata, & gesta ad recolendæ memoriæ Sixtum PP. Quintum similiter Prædecessorem nostrum, & Sedem præfatam transmitti, & perferri curasset, idemque Sixtus Prædecessor negotium hujusmodi Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ super Interpretatione Concilii Tridentini deputatis Cardinalibus audiendis cognoscendum, & sine debito terminandum commisisset; prædicti Cardinales visis diligenter iuribus prædictis, nec non Advocatis & Procuratoribus partium hinc inde sufficienter auditis, causæque maturè, & prout decebat, diligenter, accuratèque discussâ, & in utramque partem examinâtâ, censuerant pristina quondam Collegiata Ecclesiæ, quæ postea, ut præfertur, in Cathedralem Antverpiensem erecta est, privilegia Capitulo antedicto contra Episcopi Antverpiensis jurisdictionem non amplius suffragari in iis, quæ concernunt jurisdictionem ipsius Episcopi, & præsertim in Casibus, in quibus jurisdictione ipsi Episcopo à Concilio Tridentino tributa est.

Et nihilominus prædicti Decanus, & Capitulum, præmissis non contenti, ad eundem Sixtum Prædecessorem, & Sedem prædictam de novo recursum habentes, prædictum negotium de novo ipsis Cardinalibus audiendum, & examinandum committi obtinuerunt, Cardinalesque prædicti in

I. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. II. p. 1107.